



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Meretricium semper est peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

non pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter. Vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis: ut in primis motibus contingit propter non deliberatè consentire. Vel propter imperfectionem actus ex parte nocenti: ut in minimis contingit. Vel propter imperfectionem actus ex parte forme: ut contingit in detractione non animo detrahendi, & similibus: ita quòd mentiens in materia perniciofa (puta in scientificis) non animo nocendi alicui, sed ex loquacitate non putans inde aliquem notare & concipere falsam doctrinam, quia non formaliter dicit perniciosum, non peccat mortaliter: nisi nocumētum sit adeò notabile, ut peccatū redeat in naturam suæ forme. Et scito perniciosum esse mendaciū, omne mendacium circa sacram scripturam, omne mendacium circa scientifica, pro quanto sunt bona intellectus, & omne mendacium prædicatoris cōtra veritatem spectantem ad prædicatoris officium: & similiter omne mendacium iudicis contra veritatem spectantem ad iudicis officium: quoniam hæc tantum sunt prædicatoris ut sic, & iudicis ut sic, mendacia: reliqua sunt per accidens, & ideò venialia: nisi ratione scandali aliud occurrat censendum.

Mercantia solius lucri gratia exercitata vitiosa est & vituperabilis.

Mercatura nuda, hoc est solius lucri gratia, vituperabilis est, utpote infinita, ac per hoc insatiabilis. Ordinata autem ad finem politicum (hoc est civitatis bonum) vel ad finem œconomicum, hoc est domesticum bonum, laudabilis est, si iniustitia fraudum, mendaciorum & huiusmodi desint.

Meretricium semper est peccatum.

Meretricis turpitude, siue venialis sit, siue nō peccatum est mortale. Et quoniā multas implicat criminum

422 Militum peccata

criminum maculas, dum omnium aut multorum libidini patet (quoniam & adulterii, & incestus, & sacrilegii reatus facile incurrit, præter fraudes extorsionesque quas exercent, aut quibus consentiunt) earum poenitentiae relinquamus. Quæ quando euenerit, sit confessor prudens, non curans discernere species à speciebus dictorum criminum: ne se & illam intentionem præcipitet inutiliter: sat est enim confusè tunc hæc dixi: vt declarauimus in commentariis tertie partis.

Miles potest tripliciter peccare.

Militum peccata pecularia sunt tria. Concutere pauperes: hoc est extorquere vi vel metu ab eis, & lædere etiam in persona quandoque. Calumniam inferre diuitibus, imponendo illis quod sunt factiosi, quod sunt rebelles, quod sunt hostes, &c. Et tertium quod est causa omnium, non contentari stipendiis suis: hinc enim concussiones, hinc calumnie, hinc prædæ, rapinæ, &c. Præter hæc autem tria quæ à Ioanne Baptista didicimus Luc. iii. ponit Aristoteles luxuriam: tanquam gens militaris nata sit ad carnis petulantiam. Implicatur quoque hodie multi eorum blasphemie vitio.

Vindicatio semper est peccatum: & quid de mina.

Minari, actus est vindicatiuus: & potest bene & malè fieri. Contingit autem in minis inueniri quintupliciter peccatum. Primò, ex malo comminato: si scilicet non est iustum. Et tunc esse peccatum mortale: quia iniustum ex suo genere est mortale, nisi minimum quid sit.

Secundò ex ratione comminandi: si scilicet minatur non ratione iustitiæ, vel correctionis, &c. sed ad ultionem. Et hoc tunc est mortale quum voluntas ultionis